



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica

Buchanan, George

Argentorati, M. D. LXVIII.

VD16 B 3125

Psal. LXXXIII. Quam dilecta tabernacula tua, &c. Carm. gen. 8.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

Lætamen agris: nec fuga eripuit duces
 Orebum & Zebum: nec subtraxere latebræ
 A falce mortis Zebeamq; & Salmanam:
 Dicere non ueritos animo uotoq; superbo,
 Dominos futuros se tui sacrarij.
 At tu sancte parens sic hos uertigine torque,
 Ut rotula diuo, stipula uento uoluitur:
 Flamma uelut sicca populatur brachia siluæ,
 Per alta stridens montium cacumina.
 Sic urgeattonitos consternatosq; procella,
 Tui furoris dissipa sic turbine,
 Sic animos dolor exurat, pudor ora coloret,
 Suis miserijs numen ut probent tuum:
 Sic ignominia fastum preme, damna timorq;
 Sic continenter territos exerceant,
 Te solū ut noscant Dominū, rerumq; potentē
 Quacunq; terras ambit axis ignifer.

PSAL. LXXIIII. *Quam dilecta ta-*
bernacula tua, &c. Carm. gen. 8.

O Rex armipotens, qui creperos tuo
 Bellorum arbitrio diuidis exitus,
 Ergo limina templi
 Lætus conspiciam tui.
 Hic cor læticia palpitat: hic bonis
 Languet mens nimijs ebria, gestiunt
 Artus, atria uiui
 Visuri propius Dei.
 Hic passer latebras inuenit, hic locat
 Nidum ueris auis nuntia. O atria
 Regis bellipotentis

Vt uos aspiciam libens!

Felix qui domui perpetuo tuæ
Hærens te celebrat: qui penitus suam
In te spem posuerunt,
Felices ter & amplius.

Felices studio qui properant pio
Templo sacra tuo ferre: per aridas
Valles fontis amœni
De riuis liquidis bibent.

Nec deerit pluuiæ quæ repleat cauas
Fossas, agmen aquæ, dum properat premens
Turmam turma, parentum
Ritu cædere uictimas.

O rex armipotens, da placidum tuo
Te regi, capitis cui decus inclytum
Indulsti: bonus aurem
Ne daram abnue supplici.

Tu noster clypeus, rebus in asperis
Spes & præsidium: iuxta adytum tuum
Vnius mora lucis
Pro mille est mihi sæculis.

Sim custos potius liminis in tuo
Templo, sancte parens, quam Solyma procul
Degam inter sceleratos
Multis clarus honoribus.

Tu sol, tu clypeus, tu Dominus: tuis
Tu das conspicua fulgere gloria:
Nec puro scelerum unquam
Claudis munificam manum.

O rex armipotens, quem penes exitus
Bellorum, & positus ensibus otia,

O bis

Obis terq̄ beatos
Qui te spe solida colunt.

PSAL. LXXXV. *Benedixisti Domine
terram tuam, &c. Carm. gen. 1.*

Non semper tumidis feruent uexata procel
Aequora, nec gelida riget horrida ter- (lis
ra pruina:

Inq̄ uicē ponunt uenti, mare sternitur, aura
Mitior inflorem torpentes euocat herbas.
Nec semper Deus auertis marentibus aurem
Durus, & indulgens iræ: quondamq̄ fauore
Sponte tuū amplexus populum es, uinclisq̄ se
lutis

Seruitij, patrias duce te remeauit ad aras.

Oblitus scelerum & uiolati fœderis, iram

Lenisti, & patria texisti crimina cura.

Et nos ergo parēs, nostræ & spes una salutis,

Respice placatus facilisq̄: animumq̄ benignū

Accipe: perpetuæ neue implacabilis iræ

Sæuiat in seros etiam uindicta nepotes.

Respice nos melior tantum: quodcunq̄ misel-

Spirat adhuc animæ, te respiciente uigorē (læ

Accipiet: populoq̄ tuo, iam nube repulsa

Tristitiæ, lætos hilarabunt gaudia uultus.

Alme parēs, bonitate tua complectere fessos,

Speratæq̄ diu iam fructum ostende salutis.

Iam dudum expecto, Dominus dum læta futuri

Signa det, arcano pulsans præcordia motu,

Et dabit hand dubiè posita placabilis ira

L iij

simile.